

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## IV.

## Petrus Curtius Brugensis. Erasmo.

Quod autem quoque doctos hic tuæ lucubrationes reddiderint, malo ab aliis, quæ à me, intelligas: vel hinc licet facere conjecturam, quod ante menses aliquot præ invidia rumpentibus omnis bonæ literaturæ oforibus, nullum non moverunt lapidem Theologi, ut publico Senatus-Consulto tui libri è scholis artium eliminarentur, atque in eam sententiam jam propulerant veteranos penè omnes. Verum quotquot rectè de Erasmi erga literas senserunt meritis, senserunt autem sic plurimi, nunquam id videbantur passuri, quare cæpto destitere desperantes; ea autem faba in nos potissimum cudebatur. Nam in aliis pædagogis nihil quicquam prælegebatur Erasmicum, præter libellum illum de octo partibus. Tentarunt postea & aliis viis, è nostrorum auditorum manibus extorquere colloquia, enchiridium, aliosque aliquot è tuis scæribus, partim in publicis concionibus, partim in secretis, quas audiunt, confessionibus: sed quo magis laborant, eò minus succedit, & quod ajunt, contra fluminis tractum nituntur. Deus Opt. Max. te diu nobis omnibusque studiosis servet incolumem, nec incolumem tantum, sed & fecundum ut tuis partibus reddamur indies & locupletiores & meliores. Vale, Lovanii ex Lilio, XII. Calendas Februarias, anno à Christiano natali, 1525.

*Tibi toto pectore deditissimus*

Petrus Curtius Brugensis.



## V.

Erasmo,

Equidem pro tuo monitu Hieronymo Frobenio adesse studui, venarienti verusta aliqua exemplaria. Sed quam invita Delia, est quod doleam ego atque ille queruleretur. D. Reginal. Polus aliquanto magis (nam is potest) assulfit propitius. Quippe unde indicum quorundam visurus es gratissima exemplaria. Puta Bibliothecæ Romanæ, Florentinæ atque Venetæ. Patavini Monachi, penes quos sunt abstrusiora, undiquaque sunt inexpugnabiles, quamlibet iis, quos præscripseras, modis oppugnati, hoc est: seu precio seu precario, seu furto seu rapto. In te tamen non possum non maximam spem repositam fovere, ut scilicet per occasionem aliquo te commendante intrudat, ubi viro studioso suus virtutis tandem fructus erumpat. Scis quid velim, neque quid tu possis, vicissim nescio. Sed quantum

obtin-